

exagitat: inde repulsa exanimat: inuidia stimulat, cupiditas inflammat. Deinde quæ cura conficit, cum his persequenda est, cum parandus victus familia, seruitus stipendia quarrenda, cum proles educanda, erudienda, collocanda filia? Si rixatur vxor, ferenda est rixi garrit, audienda: si succenset, demulcenda: pueri si de nocte vagiunt, nox in somnis ducenda est: si de die petulantius se gerunt, arrendendum, vicinus conuiuium facit, dissimulandum est: viator iniuria afficit, leuius ferens quam referas: denique vendique aut potentiores opprimunt, aut tenuiores inuident, aut æquales æmulantur. Si opibus abundes, plures insidiantur: si desunt, nullus habebere. Tantam tamque sæuam hyemem sustinere quis poterit? Quæ regio, licet illa sub axe gelido frigidis Aquilonibus obnoxia sit, sicut ista vita curis, sic niue & pruina pariter obrigescit? Absit à me igitur, vt optandam eiusmodi conditionem iudicem.

At Religiosorum vita, primum quidem ab his angoribus vacuitate nacta est, & tanquam in portu tranquillissimo procul ab omni tempestate refidet: deinde votorum suorum præsidio septa, & præstantissimarum virtutum opibus fulta, ad spem parandæ perfectionis non obsecutur nititur. Nam præter illa, quæ iam antea diximus, & alia plurima quæ sola exercitatio docere potest, quod habent Episcopi præcipuum, id cum Religiosis communicant. Nam si Apostolo credimus, non misit illum Dominus baptizare, sed euangelizare: quo verbo, vt mihi quidem videtur, asseruit Euangelij prædicationem Apostolici muneris partem esse nobilissimam. Hanc verò beneficio Episcoporum etiam Religiosi participant, non modò cum laude, quæ fugientes sequitur, verum etiam cum Ecclesiæ utilitate permaxima. Præfunt item confessionibus audiendis, in quibus non rarò vtilem eorum operam Pontifices experti sunt. Sæpe etiam cum hæreticis committuntur, quos vincere, penè dixerim, Religiosorum est. Denique à nullo bono opere abhorrent, in quo versari cum proximi utilitate possint. Nam & carceres ipsi adeunt, & victos consolantur, & agrotis atque animam agentibus adsunt, periculo, si quod ab hoste imminet, & morem gerere voluerint, erepturi. Atque hæc omnia sic agunt, vt de statu quietis suæ neutiquam dimoucantur, quam felicitatem tametsi nemo verbis explicare queat, attamen viam ac rationem inuenisse videor, quam si aduerfas, aliqua ex parte possis cognoscere. Finge enim animo te parentem habere nullum, non affinem, non consanguineum, non fratrem, non vxorem, non liberos. Quanta putas id si contingere posset, te molestia ac perturbatione leuandum: adde præterea nec vllas diuitias te possidere, non agrum, non aurum, non vestem, non suppellectilem, non domum: sed nec habere velle: quanta te putas eo pacto cura liberandum? Quid si & hoc adicias, nec vllis publicorum munerum occupationibus distringi, non magistratum gerere, non ducere exercitum, non agere iudicem, non patronum cuiquam venire, non denique familia præesse, nec tamen vllis rebus indige-

re, quoniam Deus procurator tuus fidelissimus abundè omnia suppediet: quanta tum te putas hilaritate atque lætitia afficiendum? Demus igitur hæc omnia viro cuiuspiam contigisse, nam hoc fingere necesse est: is cum ita animo affectus sit, vt nulla cura solliciter, nullus angor distorqueat, si qua fortè occasio se dederit, quæ eius opem consiliumve expetat, num grauiter censes, an quod verisimilius est, benignè ac comiter sui copiam facturum? Actio certè vnumquemque delectat: deinde ad opem ferendam, & benè de omnibus merendum, non obscuris à natura stimulis incitatur: postremò nihil est, quòd spontè currentem aliunde remoretur, inuadet igitur in optimâ quæque libentissimè. Atqui beatus ille status, quem nulla ægritudo cruciat, Religiosi status velut ex ore aliquo expressa imago est. Ergo Religiosi etià quæcunque actio, quæ in rem proximi conferatur, erit cum summa animi tranquillitate atque pace coniuncta. Talem verò omnem hominem esse decet, qui paratus sit aduersus proximum beneficium præstare, vt quemadmodum oculi acies nullo proprio colore tingitur, quò possit obiectionum rerum in se colores suscipere, ita nec ille priuatis vllis affectibus occupetur, quò possit aliorum quoslibet affectus induere. Sic enim maxime fiet, quòd de se prædicat Apostolus, vt cum flentibus flere, cum gaudentibus gaudere verè & ex animo possit. Quod si actiones illæ quæ non parum in se difficultatis continent, possunt ea ratione suauiter ac delectabiliter eadere, quæ tandem, & quanta erit voluptas eorum studiorum, quæ reliqui solent, cum angitur animo, remedium adhibere: quanto cum gaudio libera, ac soluta mens cælestem ac planè diuinam eruditionem de limpido fonte Scripturarum fonte potabit? Quo studio mysteria, quæ recòditis in sensibus versantur, eruent: quàm cupide sanctorum Patrum Commentarios euoluet? Nec vno porro doctrinæ genere contentus, à cortice literæ ad Allegoriæ medullam penetrabit, in qua, cum admirabilitate maxima diuinorum mysteriorum seriem vmbis figurisque contextam resignabit. Postquam continuò humanæ leuitatis atque inconstantiæ non immemor, aut etiam concupiscentiæ semper obliuiscens, eam partem quæ mores animi quæ componit, non quasi per transennam præteriens strictim aspiciet, sed gradum tantisper sistens, dum quæ legi, altius in cogitatione defigat, solutus in lacrymas ingemiscet, & cælestem numinis opem implorabit. Vnde postremò spe confirmatus, ac certa rerum cælestium expectatione recreatus, iam illas epulas cælestis patriæ delibabit, aternasque delicias mente ac cogitatione percipiet, & floribus Anagocicis pascetur. Quæ omnia, quamquam mira suauitate animum perfundunt, rerum quæ omnium immemorem constituunt, orationis tamen felicitate vincuntur, illius præsertim, quæ intempeste noctis silentio, solo Deo arbitro concipitur; quàm qui frequentant, nè intellectu quidem capere possis, quàm exquisitis bonarum cogitationum epulis satuentur. Est autem ad eas epulas noctis illa portio opportunis-

*Oratio in-
tempesta non
est, solo Deo
arbitro, vo-
luptatibus
maxima.*

*Quod ha-
bent Episco-
pi præcipuum,
id cum Reli-
giosis com-
municant.*

*Religiosa
vita beata
quies est o-
culis poni-
tur.*